partes terræ; quippequàm in cœleſtia iam habebant ingreſſum, qui tranſgreſsione primà audaces clauſerant oſtium. Ibi erat Sol, fonſque lucis, Verbum Dei, ſplendor Patris, impediens aditum, quin homo ingredi poſſet, quouſque inde in mundum veniens, deſcenderet; patetque empyreum, ad illud oſtium, & hominibus recluſum; quoniam haud aliò Verbum Dei, caro factum de cœlo deſcendit, & hominibus homo in terris apparuit; niſi ut cœlum clauſum hominibus aperiret.

Souſ. d. v. 197.

Priùs clauſi poſtes reſeravit Olympi.

12 Mœſti gemebant homines, quia nullus aditus propter tranſgreſsionis vectes, ut quirent accedere ad limina; etenim clauſa erat ianua. Profectò clauſa, verùm erat cœli porta, quæ illis aliquando aperienda; cùm prævaricatoribus Angelis nec relinqueretur rimula. Hoc enim intuitu dum cœleſtem Conditor conſtruxit orbem, ad ingreſſum hominum reliquit in Aquilone foramen; quod quidem eſtò obſtructum, quandoque gementibus reſerandum. Verùm quando? Dicit enthuſiaſmicè, neſciens quid diceret, Ethnicus.

Manl. d. libr. 1. cap. 10. à v. 81.

—*Meliùs manet illa fides per ſæcula priſca,*
Fiſſuram faciens mundi, fundamina cœli;
Dũ nova per cæcã vibrantur lumina noctem,
Inquiruntque ſacras humano pectore cauſas,
Admittantque novum laxato pectore lumen.
Quid? Quaſi nõ timeant, magni cum vulnera cœli
Conſpiciant, cœlique ora & ſidera tangant.

Cuncta facta, dum æqualis Patri pro hominibus, cœlum quin relinqueret, reliquit, & homo inter homines novà nativitate mirificè apparuit. Oſtium in cœlo erat quod homo occluſerat: at cùm idem eſſet, filium Dei in mundum egredi, ac oſtium in cœlo hominibus aperire; dum deſcendit ad hominem, clauſum reſeravit oſtium, atque reliquit apertum. Clauſerat flagitij furor, ſed

Senec. in Oetæo, v. 472.

Vicit Superos amor.

E cœlo egreditur, ut illuc homo ingrediatur.

Cogitavit hominis elevationem, per novam Verbi Dei in carne nativitatem. A felicitate excluditur, ni cœlum aperiretur, quod nequibat eſſe, ni Filius Dei videretur in carne. Hoc myſterium ad aditum clavis fuit. Verbum caro factum eſt: & cum ex eius in mundo expectatà viſione, reſeranda porta cœli; nato in carne, ut ingrederetur homo, *ecce oſtium apertum in cœlo.*

13 Veſtitus podere naſcitur, oſtium in cœlo aperitur, videntique dicitur ſtatim: *Aſcende huc.* Hæc prima vox.

Lucian. in Iobe Tragœd.

Cur gemis, & tacito pallor ſubſurgit in ore?

Aſcende, & illuc, quo non valebas, quippe illud occluſeras. Pridem habebas excuſationem; quoniam nec videbas limen: modò videtur cœleſtium cordis faſtidium; non ingredi, & oſtium ad cœlum videre apertum. Iuxta deſideria amoris, naſcente Chriſto, hominibus elucet gloria cœleſtis: igitur tantæ gratiæ abdicentibus myſterium; quaſi cœlum eſſet clauſum. Sol expectatur (vocibus enim expectantium vota exprimuntur) ut continuò ſacrificetur cor, ſimulatque in mundo exploretur lux. Priùs erat in nubilo, cum reſideret in cœlo. Iam apparet, corque eius amori reſpondet, ſi illius radijs ardens feliciter deficit: etenim patet quod Sol oriens in humanum ad votum refulſit pectus, ſi ad eius exortum in cordibus accenditur ignis magnus: non enim orientis claritatem videbit, qui oculos ad inſignem maieſtatem infeliciter claudit. Contingit tantam gloriam negligenti, quod aſſeclis Salvatoris in Thabore.

Ut profi Solis divini hominibus certas, præ flammis amoris ardeat pectus.

Matth. 17. 2.

Reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Oſtendit ſicut in nativitate candore carnis, quos occluſerat radios divini Solis, dum exoriens hominibus flammas expanderat charitatis; quæ iurè amoris exceſſus, ubi pro hominibus apparebat humanus, quin dedignaretur tanto è cœlicolis plauſu,

Catull. Epigr. 65. v. 385.

—— *Seſe mortali oſtendere cœtu.*

Luc. 9. 32.

At quid comites diſcipuli? Illo glorioſiſsimo theatro *gravati erant ſomno.* Speculum obijcitur negligentium, dum ſciunt Chriſtum, Iuſtitiæ Solem, ut naſcatur in cordibus, in terris natum: equidem haud valuit neque Solis ſplendore, dormientium oculos aperire. Glorioſè igitur vel in carne fulgebat, dormientibus emittens luminis radios; quibus percuſsi diſcipuli *evigilantes viderunt maieſtatem eius.* En diſcrimen ad ortum Solis Iuſtitiæ vigilantium & dormientium: igitur ſi lux Solis (hominibus præ eximio amore naſcentis, à cordibus ut illuminentur appetibilis) in gratiæ radios feliciſsimam ſortem; dumtaxat qui vigilant vident Solis maieſtatem.

Ibid.

Qui deſes dormit, Solem naſcentem non videt.

Herodo.

14 Sunt nonnulli (uti de Adlantibus refert Herodot. *lib.* 4. n. 46. & de Æthiopibus, præmiſimus *Tom.* 7. *T.* 1. *D.* 2. *n.* 4.) *qui Solem tranſcendentem execrantur.* Alij, qui propter ſucceſsivum æſtimabile donum, eius lucem ſolertiſsimè præveniunt. Hi vigilant, illi dormiunt. Illi ſolicitant in ingreſſum Empyrij patulum oſtium: hi ſedent, quamvis videant cœlum apertum, ſpretis gratijs, dum vigilantes fiunt participes ſplendoris: etenim oportet prevenire So-

Si cor ardet, adventū prævenit

lem; ut eius poſsint homines aſpicere maieſtatem. *In Hircania* (refert Curtius, *Alexandr. hiſtor.* lib. 6. cap. 4. Diodor. Sicul. *lib.* 17. *cap.* 75. ac Cauſsin. *lib.* 9. *Symbol.* 9.) *frequens arbor, cuius folia multo melle tinguntur; ſed niſi Solis ortum incolæ occupaverint, vel modico tempore ſuccus extinguitur.* Elucet Salvatoris, adinſtar cœleſtis Manna in terram deſuper venientis, conditio (ſiquidem panis vivus qui deſcendit de cœlo) ut homo dulcedinis avidus prægustare valeat amabilem ſuavitatem; *quoniam oportet prævenire Solem,* atque eius radijs inflammato corde, ad ortum lucis Salvatorem adorare. Notatur in præventione diſpoſitio cordium, ut poſſint nativitatis indipiſci beneficium: oporteque Solem naſciturum in adorationem prævenire; quippe ex luce nec levis illuminatio ſine diſpoſitione. Ubi frigidum hominis pectus, Sol natus quaſi non natus. Eſt qui ſe abſcondat à calore eius: igitur frigidis oriens non oritur; quoniam ad modum recipientis recipitur. Cera radijs emolleſcit, obdureſcit lutum. Haud aliter oriente Chriſto, ex averſione, vel aviditate cordium: equidem dum alij uti Atlantes Solis ortum execrantur; alij exiguo Solis radio præ amore lucis tabeſcunt.

Q. Curt.

Sapient. 16. 18.

Effectus naſcētis, iuxta cordis diſpoſitiones.

15 *Mons in Æthiopia* (inquit Maiolus, *Tom.* 1. *Colloq.* 16.) *oriente Sole, uſque ad quintam diei horam flammas emittit.* Non ſecùs dum pijs Sol Iuſtitiæ in lucem natus. Sunt corda montes in circuitu eius: patetque prævijs diſpoſitionibus in receptionem facultas; dum corda Sole oriente facùl erumpunt in flammas. Ille venit *mittere ignem in terram* cordium; claretque Solis illuſtratio per incendium. Hartmanus Schedel, 5. *Mundi ætate*, Cicer. 1. de *Divinat.* & in eo Plutarch. ait: *Qua nocte Alexander natus, templum Epheſinæ Dianæ conflagravit.* Ex incendio prognoſticon ſumptum illuſtris nativitatis; quo indicatur ritus in ſuſceptionem Salvatoris, mundo orientis. Pectus hominis eſt execrabile templum, in quo omnia idola voluptatum, & adoratæ vitiorum illecebræ a ſeducto, cæco corde. Ut cæcitatem illuminet, Sol iuſtitiæ in lucem prodit. Tota hominis felicitas ex iſthac divini Solis nativitate, quæ notatur ex cordium concepto, ac miſſo cœlitùs igne: igitur congruam ac æſtimabilem Soli naſcenti præſtabunt adorationem; modò radijs illius idola pectoris redigantur in pulverem. Liquet per flammam, qualem ignem percupit mittere in terram; dum Verbum Dei deſcendit in carnem, ut igne amoris ſurſùm elevaret hominem.

Maiol.

Luc. 12. 49.

Plutarch.

Ut ritè recipiatur, vitia à pectore relegentur.

Catull. Epigram. 67. v. 25.

Senſibus ereptis mens excidit. At ego certè
Cognoram, à parva virgine magnanimum.
Quis te mutavit tantus Deus? An quod amantes
Non longè à charo corpore abeſſe volunt?

Ovid. 3. Triſt. 4. v. 37.

Vidi ego, te tali vultu mea fata gementem.

Senec. d v. 1264.

Invictus olim vultus, & numquàm
Lacbrymas præbere conſuetus,
Iam flere didicit.

Utique, ut homo non fleat, imò è ſocietate gaudeat. Venit, *ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum*: cogitavitque in carne terrenum fieri, ut frueretur flagrantis charitatis intentione. Cteſias in *Indic.* & Photius in *Bibliothec.* ex quibus Cauſsin. *lib.* 1. *Symbol.* 44. Signant fontem aureum, ramentis oppletum, quæ hinc inde vagantur: at ſi aquam vaſe fictili aviditas haurit; *aurum in illo ſtatim concreſcit.* Auri ramenta erant animæ hominum, deſtinatorum in cœlum. Per orbem illic vel illic vagabantur, quia necdùm vas admirabile, opus Excelſi, miſſum in mundum. De cœlo deſcendit, hominibus terrenis homo apparuit: omniaque auri ramenta ſaxò congregata ſunt; quippequàm propter nos homines Verbum caro factum eſt. Gaudeat uti iam felix humana natura, tantà donata ſingulari gratià.

Ioan. 11. 52.

Fons Indiæ aureus.

Cteſias.

In carne in unum Verbum homines congregavit in unum.

Ovid. 1. Faſt. v. 247.

—— *Patiens iam terra Deorum*
Fulget, & humanis Numina miſta locis.

DIDASCALIA IV.

Gaudium glorioſum orbis, nativitas Virginis-Matris.

1 LUX profectò mundo eſt orta, dum prodivit in lucem Virgo Maria. Specimen ne in oſtenſione miraculi? Non eſt novum, lux in Sole. Ex illa, & illa lux magna: verùm quid? *Iſta progreditur in mundum. electa ut Sol.* Sol ſolus eſt. Si in Virgine naſcente tot inſignia ac ſplendida miracula; iurè plauditur & applauditur ut unica.

Cantic. 6. 9.

Naſcitur electa ut Sol.

Lucret. 2. v. 542.

Unica res quædam nativo corpore ſola,
Cui ſimilis toto terrarum non ſit in orbe.

Sapient. 16. 28.

Nil ſimile? Sanè. Pende. *Oportet præveniré Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Meritò ſingulares grates ad ortum lucis, propter benedictionem, ſive gratiam Deitatis: ſed cur antequàm Sol oriretur, & ad lucis exortum? Ut nativitas ſingularis noſceretur Matris-Virginis; & ipſa ut Sol effulgeret uti unica

ca & ſingularis. Ut Sol proditura in lucem: & oportuit prævenire Solem; ut mundo pateret ſic, de qua natus eſt Ieſus: equidem priuſquàm ad lucis uſuram exiſteret in natura, electa ut Sol, iam erat præventa gratià. *Ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis, te oportet adorare.* Adoratio Deitatis ex potentiæ magnitudine, in Virginis glorioſæ inclyta nativitate. Feciſti magna, qui potens es. Virgo in lucem nata ut Sol: & te oportet adorare ad ortum huiuſmodi mirabilis lucis; quia ſummà gratià eam præveniſti in benedictionibus dulcedinis: quandoquidem tuæ gratiæ ſingularem obtinuit ſplendorem, antequàm huius mundi videret lucem. Siccine apparuit in carne, cui ſimilis toto terrarum non fuit in orbe.

Eius conceptio in gratia.

2 Hinc dicitur (quod ſæpe ex Auguſtino, de *Sanctis*, ſerm. 35. iteravimus) *Dei forma*, & tanti ſignaculi *digna*. A Germano, in eius *Nativitat.* Orat. 1. *Deitatis ſigillum & ſpeculum.* Quapropter dum in mundum naſcitur, Ieſus ex illa natus exponitur; ut per illam uti in ſpeculo, quis ſit filius cognoſcatur: claret imaginis præſtantiſsima excellentia; ubi in eius cognitionem perfecta obijcitur forma. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientià & perfectus decore in delicijs paradiſi Dei*: dicitur de Lucifero, ſeu Phoſphoro tragœdo; qui tumens corruit philautiæ obcæcatæ vi, cum eſſe ſimilem Deo rapinà arbitratus eſt: ſed ſupra eius (ex quo præceps miſſus) fulgentiſsimum thronum Virginis-Matris collocatum ſignaculum. Adi Theophil. Raynaud. in *Diptych. Marian.* p. 2. q. 10. Lucifer plenus decore, illuſtratus inſigni pulchritudinis ſtudioſæ venuſtate, inter ſocios cœlicæ felicitatis, *ſignaculum* fulgebat *ſimilitudinis*, quaſi complementum perfectionis, ac extremum magnitudinis, omnium rerum forma; ex qua reluceret cunctorum claritas, excellentia, potentia, bonitas gratia. Ita dotibus perfecta, prima, præcipua & glorioſa imago. Unde ergo illud: *Aſcendam, ſimilis ero Altiſsimo*? Non habebat ut ſignaculum ſimilitudinem? Atqueadmodùm, ſed non ampliorem. Similitudinem procax cum Deitate ambiebat, qua maior inter creata cogitari nequibat. Hoc ſublimius in propoſito? In locum eius ſufficiatur Mater-Virgo; ſiquidem perfectior inter creata Deitatis imago, quæ oſtendit eſſe divinum ad intelligentiam hominum. Si maior perfectio ſimilitudinis in imagine deſideratur, Virgo-Mater ad cognitionem ſignatur. Quid plus? Affige in Virgine vultus. Ipſa plena imago eſt ſignaculum vividius ſimilitudinis in expreſsionem perfectionis Deitatis: etenim ſuperioris divinæ ſubſtantiæ ſplendentis excellentia, numquàm nitidius videtur quàm in Deitatis perfectiſsima forma. Noſtrates: *Para expreſsion viva del divino ſer, nazca la Virgen, copia la mas perfecta de la Deidad*: in illa etenim, uti in extremo magnitudinis, celſitate poteſtatis, apice ſublimioris perfectionis, lucent & eminent claritas, venuſtas, pretioſitas, maieſtas, bonitas, divina chariſmata, potentia inſignis & gloria; quippe in mundum & in cœlum, tota theſaurus gratiarum. Reſpectu igitur Numinis, ut alibi ex Horatio

Auguſtin.

Dei forma, ſignaculum & ſpeculum.

Ezech. 28. à 12

Iſai. 14. 14.

Maria perfectior inter cuncta creata.

Theſaurus cœleſtiũ chariſmatũ.

Non viget quicquam ſimile aut ſecundum:
Proximus illi tamen occupavit
Pallas honores.

Horat.

3 At unde tanta Virginis perfectio, dum prodit parvula mundo? Unde ex creatis pleniſsima divinitatis imago? Quia uti ſignaculum perfectior perfectionis ſimilitudo. Forma profectò Dei eſt, *de qua natus eſt Ieſus.* Miſit Deus filium ſuum in mundum, factum ex muliere. Conſtat Virgo ſignaculum ſimilitudinis ex filij imagine: filius enim Dei dum hominis aſſumpſit naturam; non ab alio, niſi ab illa conceptus accepit formam. Filius eius Filius Dei: de illa natus eſt Ieſus; quo præſtat non ſolùm Dei forma, ſed in forma ſingularis excellentia: equidem dum filium ſui generavit imaginem; à Filio Mater accepit perfectam ſimilitudinem. Factum ad exiſtentiam Virginis-Matris, quod meditatum à Numine in exiſtentiam hominis. Inter DD. Scholaſticos cum Magiſtro, 2. *Diſt.* 16. & Angel. Thom. 1. *p. quæſt.* 93. excitatur; quomodò ſi homo ad Dei imaginem factus, à Paulo dicitur *Imago Dei*? Auguſtin. 7. de *Trinitat.* cap. 5. dirimit diſputationem; eò quòd homo conditus Dei imago, & ad imaginem. *Ita* (inquit) *imago eſt, ut ad imaginem ſit.* Vide *Tautolog.* 3. *D.* 3. *n.* 6. Sacramentum inſigne condito Adamo latet in verbis; quia Filius Dei aliquando conditione hominis. Reciprocatur ſigillum in ſacrum admirabile myſterium; dum Adamus ut Dei imago ſimilitudinem accipit, & ſimul imaginis ſimilitudinem confert: equidem Filij Dei imago fulſit, cùm in forma Dei eſſet; ſimulque extitit ad imaginem nobiliſsimum ſignaculum, quùm Deus apparuit in ſimilitudinem hominum. Imago utique Dei, & ad Dei etiam imaginem; quippequàm Deus (cuius imago) in naturæ claritatem & ſplendorem, ab illo accepturus hominis ſimilitudinem. Hinc

Matth. 1.

Quomodo Dei perfectiſsima forma?

Geneſ. 9. 6.

1. Cor. 11. 7.

Auguſtin.

Excellentia Adami in quo?

ut ait Rhodigin. *lib.* 2. cap. 3. *Imum tenet, numiſma præcelſæ divinitatis eximium, homo*: & Phocylid. apud Delr. in *Senec. Troad.* v. 370.

Cœl. Rhod.

Phocyl.

Spiritus ille Dei homini conceſſus imago.

Quippe uti ait Stoicus, 6. de *Beneſ.* cap. 23. *Cogitavit nos antè natura, quam fecit.*

Senec.

—Cognati retinebant ſemina cœli.
Fingit in effigiem.

Ovid. 1. *Metam.* fab. 2.

Hoc chariſma commendabile, & conditionis rationalis inſigne. Verùm imago eſt, ut ad imaginem ſit. Tranſit à claritate in claritatem natura humana, ut hominis dignatione Deitatis prætioſior ſit excellentia: igitur pulchrior floruit Dei imago in perfectionem; ubi imago & ad imaginem.

4 Elucet iam cum ampliore excellentia, unde Virgo in mundum veniens Dei celebretur perfectiſsima forma. Naſcitur imago Dei & ad imaginem Dei: quæ quidem nec ut imago in mundo obtineret lucem, ni feliciter oriretur ad imaginem, utramque continens excellentiam; dum illam natura vidit formatam & Dei formam. Formatam, quia mater facta ad imaginem filij, imaginis exemplaris: formam, quippe filius ad exactam imaginem genitricis. *Per ſcientiam ſuæ artis* (dicam altiore ſenſu) *figuret, & aſsimilet* (illum) *imagini hominis.* Erat enim Virgo Deitatis imago, quæ non eximia perfectio. Quicquid eximium, genitrici conferendum: ſitque Deitatis imago & ad imaginem; ut oriens mundo obtineret omnimodam perfectionem: igitur ſi filij ſtudium, ut matrem figuret imaginem Deitatis; totum deſiderium Virginis, ut illum aſsimilet imagini hominis. Hinc appoſitè, ut vidimus, in eius indicem celſitudinis, non plauditur, vel ſimilitudo vel ſignaculum; ſed *ſignaculum ſimilitudinis.* Eſt ne in vocibus differentia? Et magna. Similitudo notat dumtaxàt imaginem. Signaculum, ſeu ſigillum eſt ad aliud, ſcilicèt imaginis impreſsionem. Perfectio eſt cuiuſvis hominis, quòd imago refulgeat Deitatis; ſed perfectius ſuſpenditur bonum, quippe ſimilitudinis non eſt ſignaculum. Non eſt ad imaginem, quamvis habeat imaginis perfectionem. Eſt perfectio, ſed non plena; quia ſoli Virgini ſervata gratia, ut formata eſſet à Deo, atque ſimul Dei forma. Eſt Dei ſignaculum, verùm in ſimilitudinem. Eſt Dei perfecta imago & ad imaginem: etenim ſi Filius matris ſpeculum, genitrix Filij ſignaculum; cuius tota ſolicitudo pectoris, ut illum aſsimilet imagini hominis.

Virgo naſcens Dei imago & ad imaginem.

Sapient. 13. 13.

Ezech. d.

Quanta gratia in hac eius Virginis prærogativa.

5 Haud facilè comprehenditur, quanta & qualis quæ nobis naſcitur. *Nobis*, dixi, quia nobiſcum, *generis humani bonum.* Eſſe Deitatis imaginem ſignabat eius perfectionis celſitudinem; ſed non maiorem: & eſt eius gratiæ ſpecialis ſplendor, quòd inter creaturas vel cœleſtis nulla maior. Multa in illius commendationem cogitat amanter devotum cor; ſed necdùm impletur *in omnem plenitudinem Dei.* Magnum, quod *Dei imago*, ut obſervat Novarin. de *Umbr. Virgin.* Excurſ. 14. n. 188. Extremum & eximium, quòd à Numine eſſet forma, atque formæ ſignaculum: equidem ut gratijs impleretur, & in omnem plenitudinem; imago oritur in lucem & ad imaginem. Imago, & Deitatis pulchra ſimilitudo, quia nata eſt: ad imaginem etiam, *de qua natus eſt Ieſus*: per quem, tamquàm genitricis imaginem, cognoſcit orbis Virginis perfectionem eminentem. Huiuſmodi cogitationis intelligentia inſinuatur (quantum auguror) in præſenti Tautologia. *Dies* (dicitur à Ieremia) *in qua natus ſum: dies in qua peperit me mater mea.* Eſtne diſcrimen inter diem nativitatis, & fœtus parturitionem? Nullum, dum homo naſcitur; ſed ſummum, quùm Virgo genitrix oritur. Nullum in naturæ germine: ſummum in Conditoris genitrice. Nullum, ſi fœtus importat Deitatis dumtaxàt ſimilitudinem: ſummum, ubi nata imago exoritur ad imaginem: dieſque ſignatur fœtus ortus & partus, cùm eſſet unus; ut connotatione filij deſignaretur Virgo ad imaginem imago: etenim iam gaudebat genitricis honore, antequàm oriens naſceretur à matre. Filij nativitas exponitur, dum illa naſcitur. Sic pleniſsimè cognoſcitur. De qua Ieſus natus, eſt Annæ fœtus. Filij forma relucet, à qua accepit perfectionem: igitur qui imago ſit, conſpicitur per imaginem. Non enim à matre emanare poterat excellentia: naſcente dotibus & gratijs ſuperabatur à filia. Hæc eſt illa de cœlo fœtus.

Nazianz. *de Chriſti patient.*

Generis humani bonum.

Epheſ. 3. 19.

Novar.

Ierem. 20. 14.

Gaudebat genitricis honore, priuſquàm naſceretur ex genitrice.

Aſpice, completur votum: iam natus adæquat
Te meritis, & (quod magis eſt optabile) vincit.

Claud. 4. Honor. v. 430.

6 Non à parentibus orbis portentum, ſed per filium; ut huiuſmodi fœtus adinſtar arboris cognoſceretur per fructus. Si per parentes, intenderetur in naturæ conditionem: & dumtaxàt benedictus fructus filius demonſtrat genitricis nativitatem; quoniam tota omnimodò fructus gratiæ, etiam naſcens in humanæ conditone naturæ. Legitur in *Ritual. Terræ ſanctæ*:

Vel in naturæ conditione, tota planè fructus gratiæ.

Hæc eſt Anna radix Ieſse,

Ritual.

Ex qua Virgo ſumpſit eſſe,
Quæ divinum profert florem.
Et fert fructum contra morem.

Contra morem, & fert fructum? Utique. Erat in natura miraculum. *Orabat.* (infit

Andr. Cret.

Andr. Cretenſ. de *Dormition. Virgin.* Orat. 1.) *ut ex infertilitate fructum produceret.* Fœcunditas fructus & infecœcunditas? Voti

Natura miraculum.

ſanè ſingularitas; ſed propria, ut fructus demonſtraretur ex gratia. Si ex fœcunditate, in lucem prodiret fœtus naturæ: optaturque fructus è ſterilitate; ut in fœtu non oſtenderet fœtum, ſed miraculum. Accidit in nativitate Virginis, quod ambiguè dicitur in nativitate Præcurſoris. *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit*

Luc. 1. 57.

filium. Elucet ſterilitas & fœcunditas. Sterilitas, quia pariendi impletum tempus. Fœcunditas, quippe partus: peperitque

Cur Baptiſtæ nativitas plaudatur prodigium?

filium, cum pariendi iam eſſet tempus impletum; ut parturiens extra naturæ ordinem, oſtenderet cunctis, quis prodiret in lucem: etenim plenus chariſmatibus apparuit in terris, quem orbis veneraretur miraculum orbis. *Quis putas puer iſte erit?*

Verſ. 66

Contigit, quod parentibus Samſonis, quùm qui Ioannis, proceſſerant in diebus ſuis. Illi è cœlo duntaxàt petebant ſucceſsionem generis: cœlum in filio illorum ſuperavit expectationem. *Peperit filium, & voca-*

Iudic. 13. 24.

vit nomen eius Samſon: hoc eſt, *Sol Solis.* Pagnin. *Sol eorum.* Hieronym. *Sol lætitiæ & gaudij.* Hebr. *Sol & ſcutum.* Ar. Montan. Cuius nomen à Deo, dicunt Talmudici, in *Suta*, cap. 1. & Chryſoſt. in *Ioann.* Homil. 18. Parentum fuit ſplendor, ut *Sol eorum*, dum ex hominibus natus ita prodigium; ut plus eſſet, quàm parentes quibant petere, imò valebant ſperando cogitare: equidem cum ex ſterilitate nullus fructus; ortus filius, gentis gaudium, inexpugnabile ſcutum, cui à Domino nomen, præ ſe ferens ſpecimine virtutem: natus enim ex hominibus homo, ut quid deſcendens de cœlo, excedens inſignijs meritorum humanam comprehenſionem mentis, ex novi ſplendore Solis: etenim videbatur in natura, quod tantùm fecerat gratia.

Quæ mira in eius nativitate?

7 Quis erit, & quanta excellentia fulgebit in Solis Præcurſore; quùm tot tantaque prodigia in eius nativitate? Sol eſt Solis, parentum gaudium, etiamque ſplendor eorum; cum in illo accepiſſent, pluſquàm cogitaret quibant, & ſumma optando concupiſcere poterant. Fulget prodigium, ſi excedit vota parentum: tempuſque illum pariendi ſignatur, ubi iam non erat tempus; ut in mundum videretur ſplendens à Deo miſſus: igitur poſt tempus in tempore protulit gratia, ad quod uti ſterilis minimè poterat cogitare natura. *Quis putas puer iſte erit?* Qui in natura ultra naturæ ordinem, excedit intelligentiæ (eximia cogitantis) magnitudinem. Quænam eius adæquata in expreſsionem excellentiæ hominum cogitatio; qui vel infans magnus deſignatur coram Domino? Adiſis, *Tom. 2. Tautolog. 8. D.* 4. & 5. Præ naſcentis admiratione, quid futurus puer, æſtimatio cognoſcit. Iccircò dicitur: *Quis puer iſte erit.* De Virgine vel Angeli efformant plauſum, quin cogitatio extenda-

Cant. 6. 9.

tur in poſterum. *Quæ eſt iſta* (dicunt) *quæ progreditur?* Quæ ſit, haud facilè dicitur, vel dum naſcitur. Eritne Aurora, quæ parit Solem, dum illa prodit in lucem? Pro-

Apocal. 12. à 1.

pè eſt Sol, ſi Aurora eſt. Propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus. Vel dum apparuit ut ſignum in culmine cœli; ut eſſet ſignum magnum, apparuit amicta Sole. Vel dum eſſe incipit, uti Aurora conſurgens Solem in utero habet. *Venit Deus*

1. Reg. 4. 7. Imperij præſidiũ.

in caſtra, dicitur ab Allophylis, dum apparuit Arca fœderis. Si illa venit, Deus etiam in illa apparet. Numquàm ſine filio eſt, de qua natus eſt Ieſus. Sic enim Domi-

Matth. 11. 3. Maria numquã ſine filio

ne, *Tu es, qui venturus es.* Venturus, quippe naſciturus ex illa: & ibi etiam, quippequàm ortum præveniebat Aurora: quæ quidem nil aliud eſt, niſi radij Solis, vel ſuperventurus Sol.

8 Num iam cognoſcitur, quæ uti Aurora progreditur? Oritur ſicut Sol Solis, quæ dum progreditur eligitur quaſi Sol in mundum, propter ſplendorem dotium. *Cuncta perfectionum idea, & ſingulare miraculum* extollitur ab Epiphanio, de *Lau-*

Epiphanio.

dib. Virgin. Ad unguem congruit. Quæ diviſa mirabiles homines efficiunt, collecta

Cunctarum perfectionũ idea.

tenet. Naſcitur in orbis gaudium, ut Sol etiam, atque hominibus ſcutum: equidem per bellatricis nativitatem, exuit mundus ſervitutem; de quo infrà. In rem Sibylla apud Lactantium, lib. 7. cap. 24.

Cur naſcens dicitur ſcutũ

Mundus ipſe gaudebit, & omnis rerum
Natura lætabitur, erecta & liberata à dominio
Mali & impietatis, ſceleris & erroris.

Sibyll.

Patet per illam victoria Viennenſis. Sol ſanè, dum venit in mundum, ſed maximè

Gaudiũ cur partum

gaudium & ſplendor ſuorum, nimirùm parentum: igitur feliciter acceperunt, multo plus quàm cogitarunt. Ad eximia in generis ſucceſsione illorum poterat extendi cor: cæterùm filia data ulteriùs eſt. Singu-

lare planè miraculum, quæ idea cunctarum præſtabilis perfectionum: *Quæ eſt iſta quæ*

Eius præſtantia maior Angelica intelligẽtia.

progreditur? Videtur, & cognita non agnoſcitur. Nil magnum: pretioſitati æquivalet. Maior illa, quam concipi poteſt. Perperàm quam non comprehendit intelligentia Angelica, definietur ab humana: etſi in plura & plura (etiamque maiora) ad perfectionum cognitionem volet ſublimis ſubtilior mens; in gratijs, qui ornatur, ſemper invenitur plus.

9 Denique. Ex ſterilibus parentibus Virgo nata; ut in humana conditione effulgeat, quæ fuerit iſta. Ex infertilitate Anna fœtum edidit luci, & poſtquàm impletum tempus pariendi. In tempore, eſſet naturæ conditio: at illa data de cœlo, ut cùm

Anna illuſtratur à filia.

Anna felix demonſtraret fœtum, orbi manifeſtaret orbis miraculum: equidem fœtus præferebat excellentiam, ubi in natura videbatur quæ ultra naturam, nobilitans genitricem; cùm naturalis ſplenderet filia ultra naturalem genitricis perfectionem: quandoquidèm ut appareret in tempore mirabilis fructus, fructus præterierat tempus.

Rodulp. Agricol. in D. An.

Conſpicuos præſtant alios benefacta parẽtũ:
Tu contra natæ nobilitate nites.

Partus extra tempus, miraculum eſt: & in Virginis partu ingens miraculum fit; igitur uti prodigium cognoſcitur, quòd ex hominibus ſic perfecta naſceretur. Illa de

Prov. 8. v. 23.

ſe dixit: *Ab æterno ordinata ſum.* Salazar, hìc *n.* 291. *In vexillum.* Oritur in noſtra

Cantic. 6. v. 9.

commoda, *ut caſtrorum acies ordinata.* Vel ex tunc,

Horat. 1. od. 15. v. 11.

— Iam galeam Pallas, ægidaque
Curruſque parat.

Patetque in bello inexpugnabilis bellatricis atque debellatricis protectio, dum ordinatur & habetur pro vexillo.

—— Toties exurgens ardua pennis.

Claud. 3 de Scilic. à v. 100

Ipſa Duci ſacras victoriæ panderet ædes,
Et palmà viridi gaudẽs; & amicta trophæis.
Cuſtos imperij Virgo, quæ ſola mederis
Vulneribus, nullumque doces ſentire laborẽ.

Virgo cuſtos imperij.

Quæ verò Procerũ voces? Quàm certa fuere
Gaudia!

Quid non mirabilis triumphi, dum Virgo cuſtos imperij? Naſcitur ut devotis auxilietur. Ad hoc enim vel ab æterno ordinatur. Nobis non mirum, & illi non novum:

Eius amoris munera.

afflictus enim in ea & per eam invenit conſolationem, proiectus levamen, naufragus portum, oppreſſus aſylum, reus veniam, peccator gratiam, iuſtus denique gloriam. In huiuſmodi omnigenum munus, ſignum Virgo levavit in nationibus: *Qui iam ar-*

Tom. VIII. Taut.

ma ferre non poſſunt (ait Quintilian. *Decla-*

Quintil.

mat. 265.) *qui ſalutem ſuam tueri nequeunt, ad aras confugiunt.* Felicior ſors ortu Virginis.

——— Hæc ara tuebitur omnes.

Virgil. 2 Æneid.

Mortali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Erigetur namque ex certamine nobiliſsimum trophæum, ubi Virgo Pallas inclyta ordinatur in vexillum.

10 Aliter S. Antonius, *p.* 4. *tit.* 15. *cap.* 14. *§. Ab æterno ordinata* (infit) *ut*

Antonin.

ſit prima omnium, quæ puræ creaturæ ſunt. Unde inter illas (ut in eius *Nativitat.* orat.

Damaſceno.

1. ait Damaſcen.) *Miraculorum omnium miraculum maximè novum.* At unde Virgo naſcens novum atque maximum mira-

Cur miraculum & miraculum novum?

culum? Quippe ex hominibus orta, quæ ab æterno divinà mente ordinata. Ergo plaudatur uti decreta in divina mente, haudquaquàm ut videtur nata in orbe. Nullo modo. Aliter Virginis ſumma non rutilaret perfectio. Si uti Adam formaretur à Numine, non eſſet novum, quod ſummà videretur perfectione. In Nativitate Virginis videndum miraculum & maximè novum, eius quæ ab æterno ordinata, ut ſubſiſteret perfectior ex imperfecta humana læſa natura, à qua fugerat primæva maieſtas: equidem in illa & ex illa novitas; quòd ita plena gratijs ac perfecta nata ſit, quaſi immediatè formaretur manu Dei. Dum naſcitur mundo, exponitur uti decreta ab æterno, prima omnium creatura-

Tantá perfectio nitet in eius nativitate, quaſi nõ naſceretur ex homine.

rum, regina hominum & Angelorum: & dum ex homine eius ſignatur nativitas, miraculorum miraculi videtur novitas; quippe tanta pulchritudo, tanta gratiarum perfectio in eius nativitate, quaſi quæ humana non naſceretur ex homine, ſed duntaxat ex divina perfectiſsima mente. Ex natura haud imminuta Virginis excellentia: imò creverunt in eius ortu prodigia; quippe viſa mirabili perfectione, cum humana eſſet, quaſi non eſſet humana: quandoquidem eminuit cumulatim chariſmatum plenitudo; quaſi immediatè formata fuiſſet à Deo. Viſum huiuſmodi ſpecimen perfectionis in tabulis legis. Quæ priores, à Deo formatæ & ſcriptæ (ſicut Adam) tranſgreſsione penitus fractæ: præcipiturque à

Exod. 33 v. 19 Cap. 34 v. 1.

Numine Moyſi: *Præcide duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas.* Cur ipſe Deus, ut mira in poſterioribus tabulis ſcriberet, illas per ſe non efformat, ſicut pridem fecerat? Ut videretur miraculi amplioris novitas, dum Deus ſcriberet perfectionis legem ſuper tabulas

Ccc 2 ſe

ſecundas ; quæ quidem non fractæ mirabili perfectione. Non novum , quòd opus perfectionem & eximiam haberet ; modò ipſe per ſe formaret. Novum aliquod in conformatione Scripturæ videndum : equidem ut admirabile , novum ; quòd tabulæ perfectæ exirent ab hominis manu , quaſi fuiſſent efformatæ immediatè ab ipſo Deo.

11 *Summa divinitùs inſpiratæ Scripturæ*) plauditur Virgo-Mater , Orat. in eius *Nativit.* à Germano Conſtantinop. & Marrac. *in Marian. Polyant.*) *in qua ſine voce ipſe inſcriptus Deus , & Verbum legitur.* Tabulæ priores fuerunt ſcriptæ in natura humana , immediatè à Numine condita , & tanquàm ab illius manibus pulchrè perfecta. Secundæ, in quibus ſcriptum Divinum Verbum , per inauditum miraculum , Mater-Virgo. Quidni in tantum opus immediatè non efformatur à Deo , ſed per hominem exit in mundum ? Ut pluris haberetur exiſtentiæ portentum. Quid ſi in lucem oriretur perfecta , à Numine immediatè creata ? Mirum quòd in illa ipſe Deus Verbum ſcriberet , quaſi ipſe immediatè formaſſet. Novum , quod ita perfecta & gratioſa ſit , quaſi formaſſet per ſe. Ex homine in mundum venit , ut miraculum novum ex nativitate conſtet , & ſimul etiam quæſit , de qua natus eſt Ieſus : equidem cùm ex nihilo oriri ſummum , ex imperfectione perfectum ; non ſolùm ſit miraculum , ſed miraculum novum ; oritur Virgo ex parentibus humanis , inſigne prodigium orbis. Tota pulchra , tota decora , ut coruſcet ſingularis excellentia ; cum in natura humana perfectiſsima eſſet , quaſi non eſſet ex natura humana. Multæ filiæ in natura per gratiam congregaverunt divitias. Virgo-Mater in cunctis ſupergreſſa eſt univerſas : equidem quouſque illa in orbe nata; nec mirabilibus videbantur mirabilia. Eius ortus obumbratus in illa *nubecula parva, quæ aſcendebat de mari* , ut eius pluvia gratiarum ſpargeretur in orbe. Nata eſt , ſtatimque favore conſpicitur , quòd illa auxiliatrix naſceretur. Puero dixit Elias , quod in verticem Carmeli aſcenderet , an aliquid aliquomodò proſpiceret : *Cum aſcendiſſet & contemplatus eſſet , ait : Non eſt quidquam.* Nihil ? Profectò , quouſque ut nubecula ex orbis humano mari glorioſè aſcenderit Virgo. Sanè ſit collatio dotium naſcentis , cum aliorum ex genere gratijs & prærogativis : equidem quantumlibet inſignem continerent excellentiam ; cum dotibus Virginis ipſa excellentia nequidquam. Hæc prima ante alias , atque naſcentis maieſtas : igitur quamvis viſa multa commendabilia , ac inſigniter ſignanterque prodigioſa , mira , magna ; dum Virgo in hunc mundum naſcitur ; quidquid magnum nil videtur.

German

In natura huma na perfecta, quaſi nō eſſet humana.

3. Reg. 18. v. 44

Verſ. 43

Præ excellentia dum naſcitur, quidquid magnum nil videtur.

12 Ulteriùs , in hominis felicitatem, quam obtabat orbis , ut iugum excuteret ſervitutis. Ab illa naſcente gaudia , plenaque lætitia ; ut ait Birgitta, 1. *Revelat. cap.* 16. Antequàm appareret , gemebat oppreſſa humana natura. Hinc pro Virginis ortu certabant ſæcula. Aſcendit de mari nubecula Virgo , homoque ſtatim repletus gaudio : quandoquidem etſi multa exhibita in felicitatis forma ; quouſque nata felicitatis nequicquam : *Ad eam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum* , inquit Ildephonſus, *Aſſumption. ſerm.* 1. Quænam ænigmata latitantia in Scripturis ? Eius eminentia nominis, deſumpti ex theſauro divinitatis. In nomine Virginis coniungium trium rerum diſsimilium , ac mutuò pugnantium : ait Alapid. *in Eccli.* 43. *v.* 7. Ænigma humilitatis & celſitudinis, crucis & puritatis candoris , opulentiæ & paupertatis. Hæc propria illius virtutis , tanquàm ænigma atque ſumma perfectionis : verum alia erga nos dum gaudium orbis naſcitur ; quippequàm naſcitur nobis. Uſus ſolemnis Spartanis , recens natos locare meditanter in ſcutis : refert Novarin. *Umbr. Virgin. excurſ.* 10. *n.* 131. Idem erat accipere halitum vitalem, ac præparari in Urbis protectionem : equidem ad incurſus & expugnationem hoſtiū, in quolibet naſcentium Urbs poſsidebat ſcutum. Appoſitius in decus Romani Imperij, naſcente in eius protectionem Virgine-Matre ; cuius nomen in æternum : igitur ut vidit ortum, imperium habuit ſcutum. Hinc Picinel. 22. *Mund. Symb. n.* 143. picto ſcuto, addit epigraphen : *Stat magni nominis umbra.* Umbra magni nominis ſcutum bellicum , in præſidium : etenim numquàm nomen invocatur , quin protectione velociter auxilietur. Thronus Dei eſt, vallata eſt Turcarum armis nobiliſsima urbs. Oppugnata , ſed non expugnata : *de throno* enim *procedebant & fulgura & voces & tonitrua* ; ut hoſtium conſternerentur ex propugnatione caſtra : igitur unde conceperunt æmulabilem gloriam , fugà turpi contraxerunt ignominiam. Cum tonitru & fulgure è throno procedebant voces. Sunt effectus libertatis virtutis deſuper auxiliatricis. *Voces , ideſt , prodigia & miracula* : infit Lyranus. Sanè ad unguem, ubi urbs tot bellicis machinis paſſa validam (ſed invalidam) ingruentem oppugnatio-

Ildeph.

Quæ ænigmata in Virginis nomine?

Novarin.

Picinel.

Apoc. 4 v. 5.

Lyran.

Vienna ab illa mire à Turcis liberata.

nem : vox quæ tunc miraculorum quaſſatis mœnibus promitur ; quippe prodigium, quod ita cincta ab hoſte liberaretur. Sed quid non perficiet magnum & venerabile nomen Virginis ? Dicit Geometra, *Hymn.* 4. *v.* 45.

—— *Præſidium urbis , quæ mœnibus hoſtes*
Arces , & moles concutis horrificas.

Ioann. Geometr.

13 *Liber bellorum Domini* encomiaſticè Maria extollitur. Liber hic *liber cœleſtis* : infit Rupertus. *Liber hic liber propheticus* : Alapid. Utique, Virginis-Matris invincibili virtute, libro cœleſti , quò trophæa , propheticè deſignatur , & omnes triumphi Chriſtianorum ſcribentur : equidem qui partus ad mœnia Viennæ , iam erat in libro ſcriptus ſub Virginis ſacræ venerabili nomine. De cœlo pugnatum eſt in fidei inimicos , ad Urbis honorem & illorum dedecus. Hinc voces & fulgura & tonitrua ; ubi bellantium caſtra , & ad ſucceſsivos incurſus , per muros pervius eſſet introitus : infirmata erat propugnantium manus , clauſi quoque defecerunt ; & cùm irruiſſet furenter funeſtus , Mars , reſidui conſumpti ſunt.

Numer. 21. 14. *Eſt liber bellorū Dei.*

Fit Mahumetus atrox hominum violator
& armis;
Ac ficta pietate potens.

Mantuā

Hoc illi propoſitum & meditatus honos. Hoſtis habet muros ? Virgo fulgura multiplicabit, & conturbabit eos: voces audientur & tonitrua diverſis caſtris ſparſa. Tonitrua , dum fulminibus repelluntur à mœnibus hoſtes : plauſus , quùm diſcriminis expertes erumpunt in voces laudis. Hoc profectò miraculum in eiuſdem diverſitate vocis. Vox erat tonitrui magni procedens è throno Virginis in auxilium orientis , & hoſtes à mœnibus profligantis : ſimulque diverſa in recinctu murorum, ut pateret ex protectione portentum : etenim vox ſoſpitum pro collatæ beneficio libertatis , ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Modò pridem Virginis ſtuduiſſent nominis venerationi;

Victoria ex Turcis, ſacri invocatione nominis.

Non ita Mahumeti creviſſent regna nefandi.

Raviſ. T. x.

14 Cominùs ſolemnitati accedamus tanti myſterij , in nativitate præfulgentis Auroræ ; ut vocem laudis digniſsimæ audiat dulciter anima & in articulo enarret univerſa mirabilia. Accidit Viennæ ſub Virginis-Matris nomine , dum eius in gaudium orbis effulſit optata lux ; vaticinium illuſtre, fauſtum , quod olim Metropoli totius imperij Iſraël. *Surge* (ait Propheta Evangelicus) *illuminare Ieruſalem , quia venit lumen tuum & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Gloria Domini Virgo eſt. Illà adveniente , quid mirum , quod eſſet lux? Quid ſi illuminaretur feſtivè civitas Ieruſalem? Dies eius nativitatis nonnumquàm in ſplendorem orbis. Eia gaude , Aurora Solis oriente, lætitiæ fronte: equidem ſi gloria Domini naſcitur , Dominus profectò orietur. *Gloria ſuper te orta eſt.* Iam gloria generis , quæ gloria Deitatis ; quippequàm hominis gloria , quòd inter homines , hominibus naſceretur Maria. *Venit* enim *lumen tuum.* Eius & tuum , propter participationem ; in lumine eius videbimus lumen : igitur Solem oſtendet , quæ lumen prodit. *Venit lumen tuum.* Chald. *Venit tempus liberationis.* O civitas, decus imperij! circundata in gyro iaces ? Opprimeris? Ab hoſtibus liberaberis. Excuties itaque iugi tyrannici ſervitutem; quia ſuper te gloria Domini naſcitur in libertatem. Laborare poteras , quouſque huius luminis obtineretur nativitas. Vallaris , hoſtium machinis opprimeris ? Non opprimeris. Si gloria Dei quæ Virgo, naſcitur , hoſtis opprimens impugnatione opprimetur. Exulta , ſi videris hoſtilia ſigna : igitur preſſuris maximis, extremis angoris , cum nativitate Virginis , tempus proculdubiò venit liberationis. Scuto circundabit te , quæ exorta in auxilium lux : quandoquidem vel in ipſo fervore oppugnationis , virtute dumtaxàt nominis venerabilis ; cadem à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis. Quid quòd hoſtis mœnia quatiat ? Impreſsionem intendat ? Victoriam cogitet ? Circundet, gyret, obſideat, ſepiat, machinas levet , in arietationem quantumvis tormenta excogitet; ad te autem non appropinquabit. Conterentur caſtra miſerabili clade:

Iſai. 60. 1.

Maria Deitatis gloria.

Chald.

A qua Viennæ cuſtodita mœnia.

Invidioſa ſuis, at nunc miſeranda vel hoſti.

Ovid. 6. *Metamorph.* fabul. 6.

15 Ex articuli circunſtantijs clarebit, quid Vienna ex protectione orientis Virginis in munimem obtinuit. Turca eius circuitum armato milite complet , impellens obſeſſos in deditionem , imò inſolentem, propudioſam ſervitutem ; ut quæ virtute armiſque deiecta , in turribus eius rursùs locaretur dimidiata Luna. Urbs ergo arctè & inſtanter adinſtar Ieruſalem , in aſſultum obſeſſa; verùm ut eſſet glorioſa. *Non audietur vaſtitas & contritio in terminis tuis* (dicit Dominus) & pro *Sed*) *occupabit ſalus murus tuos, & portas tuas laudatio.* Hoc eſt , uti interpretatur Alapid. *Nulli in muris milites , nulla arma , nulli tubarum aut equorum ſtrepitus ; ſed in portis choros ducent iuvenes.* Doctiſsim. Sanctius, n. 81. *Non ſolùm* (infit) *quod ſonat incolumitatem & li-*

Verſ. 18

Et pro Sed.

Alapid.

Sanct.

liberationem ; ſed etiam victoriam , felicem
rerum eventum , & quicquid optari poteſt.
Et Turcarũ facta fuga.
Tot gratijs fauſtè civitas è cœlo donata,
quæ arctè per gyrum obſeſſa? Quid? Virgo-
Mater , gloria Domini ſuper illam eſt orta:
& cùm ex eius oriente dimanet , quicquid
in felicitatem optari poſsit ; eius gratia,
quoniam eius,vel procedit ultra vota: equi-
dem ex obſitione non ſolùm concedit ci-
vibus libertatem, ſed hoſtium obſidentium
ſubiectionem : non ſolùm felicem ex op-
preſsione eventum, ſed feliciſsimum trium-
phum ; ita ut in muris nec militibus nec
armis eſſet opus, cum tubarum ac equorum
non audiretur ſtrepitus: igitur pleniſsimam
obſeſsis contulit Virgo victoriam , per
obſidentium à muris turpem , præcipitem
fugam : probroſus enim imbellis armis
Turcarum exercitus,
Germ. Brix. *Præcipitante fugà per apertos evolat agros.*
Amplior gloria ſignatur urbis,auxilio Vir-
Verſ 10. ginis-Matris. *Ædificabunt filij peregrino-*
rum (Maluend. *Exteri , alienigenæ) muros*
Unde inſignis de illis victoria?
tuos. Civitas quæ fuerat ab hoſtibus , ex-
teris à fide obſeſſa,non habebit laborem in
munimen : qui obſederant in præſidia &
propugnacula habebunt reſtaurationis la-
borem. Magnum ſanè: cedit ergo in augmẽ
gloriæ ; quòd qui capti ex obſidentibus,
reædificarent muros , quos quaſſaverat
exercitus. Vienna ſiccine plus floret.
Fanſt. Adrelin *Stat muris munita loco, muroque tenaci,*
Ut benefacta manent ſolidi fundamina muri.

16 Ergo in myſterij & gratitudinis
complementum. Chori iam audiuntur, quò
pridem arma ſonuerunt. Congaudent uni-
verſi , ex eius protectione , quæ exoritur
gaudium mundi: equidem in muris videtur
ſalus ubi inimicorum inſultabat exercitus:
iureque corda grata erumpunt encomiaſti-
cè in laudem , cùm in ipſo diſcrimine in-
veniſſent ſalutem. Occupat ſalus muros.
Septuagint. Septuagint. legunt: *Sculpturæ*,id eſt,*imagi-*
nes. Imaginis erunt gloriæ Domini , quæ
ſuper urbem orta , dum à copijs hoſtilibus
eſſet magis oppreſſa : gratuſque patet ani-
mus, cùm ibi formetur laudantium chorus;
In gratitudinẽ victoriæ, pro muris collocatur imago Mariæ.
igitur imago obærati gratià multiplici pe-
ctoris, ſi in muris collocatur imago libera-
tricis. Franguntur hoſtium auſus, ubi audi-
tur chorus : equidem ut civitas efflorcat ſi-
ne periculo , ſatis Virginis orientis imago;
ſi collocatur crebris laudibus pro muro.
Eius laudetur in imagine nomen , quæ ab
obſidione ſoſpitavit civitatem. Reſonet in
portis chorus , eius nominis extendatur
plauſus : igitur caput imperij truculentam
ſubiret ſervitutem; Virgo

— Præſentem ni tribuiſſet opem.
Benav. 2. Epigram 10 *Reparat ſupremam fœmina cladem.*
Fortunata dies.

Quomodo per Mariæ dulciſsimum nomen,
Imperium in poſterum habeat tutamen; di-
cemus *Tautolog.* 10. *Didaſc.* 4. *num.* 16.
Cur Iridi cõfertur Virgo fugat Turcarum exercitus
Semper fauſta arbor cui innititur Iris , in-
quit Plin. *lib.*21. *cap.* 7. Valdè arcus cœ-
leſtis(ſignum pacis) ſpecioſus in ſplendore;
fulgens feſtivo colore triplici , multiplica-
tione gratiæ. Sic Virgo, quaſi arcus reful-
get inter nebulas gloriæ : quandoquidem
totus mundus donis ornatur , dum illa no-
bis exoritur. *Propter magnitudinem gra-*
Hug. Char. *tiarum* (infit Hugo Charenſ. in *Pſalm.*64.)
benè congruit,quod in Semptembri nata eſt,
qui eſt plenitudinis. Ex illius nativitate pla-
nè centeſimus fructus : de plenitudine eius
omnes accepimus. Souſa , *lib.*3. à v. 512.
accinit:

Mell. Soul. *Fertile delicijs ver eſt , autumnus honore*
Naſcentis Mariæ ſublimia ſidera tangit.
Corpora debilitet quamvis autumnus , &
ægros
Corripiat varijs hominũ languoribus artus
Damna ſemper pẽſat ſpes opportuna ſalutis,
Alma parens Chriſti , quæ nobis orta ſub illo
eſt.

TAU-

TAUTOLOGIA OCTAVA.

HÆC DICIT DOMINUS ISRAEL AD PASTORES, qui paſcunt. Ierem. 23. v. 2.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1 TEMPUS eſt, ut iudicium incipiat à domo Dei : equidem qui
honore , pœnæ condignæ flagitijs expertes ; ut reſponderet flagi-
tijs , in ipſo exercitio ſeſe privarunt honore. *Regiam quidem po-*
teſtatem , omnes omninò magiſtratus complexam , & inſuper ma-
ximis Sacerdotijs conſecratam fuiſſe (ait Plutarch. in *Gracchis*) *nihilominùs Tarquinium*
exactum à populo Romano , & propter unius Regis ſuperbiam , regium nomen ſub quo Plutarch.
Roma condita , atque adaucta fuerat ; omninò extinctum fuiſſe. Quid ita ſanctum aut
religioſum ut Virgines Veſtales ? Tamen ſiqua ipſarum deliquerit , viva ſuffoditur. Deſi-
nunt enim ſacroſanctæ & inviolabiles eſſe ; dum adverſus Deos delinquunt , per quos ſa-
Qui ſacri per miniſterium ſũt criminoſi, violabiles fiunt
croſanctæ & inviolabiles habebantur. Nil mirum ſi dicatur à Propheta : *Væ paſto-*
ribus Iſrael , ſub peccato venundatis , & captivitati ſine honore tradendis : igitur
dignitatem prævaricantes amiſerant , per quam ſacroſancti & inviolabiles erant. *Quis*
tantà confidentià , ut ſacerdotem audeat violare? inquirit Plaut. in *Rudent.* Act.3. ſcen.2.
verſ. 36. Crimen , ſi comitatur ſacroſanctum ſacerdotem ; qui moribus

Fraudis , ſceleris , parricidij , periurij plenus, Plaut.
Legirupa , impudens , impurus inverecundus.

2 *Cuſtodes in vineis poſiti , noſtram vineam minimè cuſtodimus ; quia dum extraneis*
actionibus implicamur (bonus paſtor informat,Homil. 17. in *Evang.*) *miniſterium actio-*
nis noſtræ negligimus. Nullum puto ab alijs maius præiudicium , quam à ſacerdotibus to-
lerat Deus ; quando eos quos ad aliorum correctionem , dare de ſe exempla pravitatis cer-
nit : quando ipſi peccamus , qui compeſcere peccata debuimus. Plerumque ſi quos humiliter,
ſi quos continenter vivere conſpiciunt , irrident. Conſiderate , quid de gregibus agatur;
quando paſtores lupi fiunt. Hi enim cuſtodiam gregis ſuſcipiunt ; qui inſidiari gregi Do-
minico non metuunt , contra quos Dei greges cuſtodiri debuerant. Nulla animarum lucra Gregor. Magn.
quærimus , ad noſtra quotidie ſtudia vacamus , terrena concupiſcimus , humanam gloriam
intentà mente captamus:::. Ad exteriora negotia delapſi ſumus : & aliud ex honore ſuſcipi-
mus , atque aliud ex officio actionis exhibemus : ad noſtram pœnam honoris nomen , non *Improbi Eccleſiaſtici ruina reipublicæ.*
virtutis tenemus:::. Sed quid nos (quod tamen ſine dolore dicere non poſſumus) quid nos, ò
paſtores , agimus , qui & mercedem conſequimur , & tamen operarij nequaquàm ſumus?
Cuius damnationis, hìc ſine labore percipere mercedem laboris ? Veniet, veniet profectò ille
dies , nec longè eſt, in quo paſtorum paſtor appareat , & uniuſcuiuſque facta in publicum
deducat : & qui modò ſubditorum culpas per Præpoſitos ulciſcitur : tunc Præpoſitorum
mala per ſemetipſum ſæviens damnet. Unde & ingreſſus in templum per ſemetipſum qua- *Dum irritant.*
ſi flagellum de funiculis fecit: & de domo Dei pravos negotiatores eijciens , cathedras ven-
dentium columbas evertit ; quia ſubditorum quidem culpas per paſtores percutit , ſed paſto-
rum vitia per ſemetipſum ferit.

3 Ideo ut vidimus , dicitur : *Væ paſtoribus.* Hieronym. *O paſtores* ! O admirationis Ezech. 34. 2.
particula eſt. Mirum utique , quòd ita proterva ſacerdotum corda ; ut nec moverent in
pœnitentiam mala ventura. *Vos diſperſiſtis gregem meum , & eieciſtis eos , & non viſita-*
ſtis eos : ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum : ait Dominus. Viſita- Ierem. d.
tio quæ , par erat , eſſe gratia ; erit ſeveritas propter malitioſa ſtudia. Viſitarunt enim
Unde paſtoris ſine viſitatione viſitatio gregis
gregem : quomodò ergo Dominus inficiatur viſitationem ? Non viſitant , ut auferant eli-
minantes malà , ſed ut evacuent ſubditorum ſcrinia : canes muti non valentes latrare,
modò valeant aliquid petaciter deglutire : etenim ſi dextera repleta muneribus (gratia-
rum